

ECLIPSIS SOLIS ORIENTIS*Noribergæ**A. cl. l. cc XVIII d. 2 Martii**horis matutinis**observata.*

Dies eclipsin istam antecedentes plerique procellosi, nive pluviisque obscuri, & inconstans anni tempestas, spem observandæ illius fere præciderant; valetudo etiam haud satis commoda apparatus requisitum ut adornarem, tantum non inhibuit. Nox equidem & horæ antelucanæ ab australi plaga serenitatem optatam polliceri videbantur, horizonte ibidem utrinque repurgato; inter 78 & 79 gradus azimuthales tamen, ex quibus Solis ortum præstolabamur, nubibus atris obfesso. Oscillatorii (quod non tantum meridie subsequenti, sed etiam postridiano per culminationes Solis uno miauto tardius incedere comperimus, ideoque momenta annotata heic in tantum adaugendo correximus) hora VI m. 29 f. o. trans oblongarum nubium furvarum fissuras splendore croceo fimbriatas Solis proxime exorturi indicia se exerebant.

H. / //

6. 33. ☉ Solis oriri incipientis signum campanis turrium publice datur.

6. 35. ☽ Nobis limbus superior trans & inter nubes prorumpens, interveniente Luna, jam nonnihil temeratus, super acclivitatem collis lapicidinarum australem, ulterioresque ibi in 55/ horizontem supereminentes